S. Observandissime Blaurer, puto te literas
meas per Camusetum recepisse. hic autem frater
mihi tuas reddidit, quibus nihil mihi posset accidere
iucundius. De Principe, quamquam et in rebus religionis
ardentiorem, et in flagitijs puniendis diligentiorem vellemus,
tamen non habemus aliquid quod de eo in praesentia magno-
pere conqueramur. Extruxit nunc hic nobis sollicitantibus
novum gymnasium, cui praefectus est Franciscus Beraldus
parisiensis, vir latine graeceque doctissimus. ex quo faxit
dominus deus, quemadmodum speramus, ut prodeant aliquando
velut ex equo Troiano innumeri milites christi. Quod me
autem scribis de coelibatu, scio vera esse omnia, tremunque vehe-
menter cupierim, ut honesto matrimonio permutaretur.
quod vereor ne tandem nobis hic det, ut alias accidit, magnum
aliquod malum. Atque utinam non solum a nobis sed a te
quoque diligenter admonitus, faciat hic quod ad salutem suam
pertineat. Caetera ex hoc fratre intelliges, nam haec pauca
scripsi occupatissimus. Precor ut dominus deus te nobis quam diu-
tissime incolumem praestet. Optime vale. Montbelgardij
26 Maij 1554

Tuus P. Tossanus.

Clariſſiõ viro dñõ
Ambroſiõ Blaurero, Eccleſ.
Bienēſis vigilantiſſimo
paſtori, dñõ ſuo ut fratri
obſeruando. ..

Petrus Toſſanus

26 Maij
1554